

www.e-rara.ch

**Henrichi Loriti Glareani, patricii Claronensis apud Helvetios, in omneis,
quae quidem extant, T. Livii Patavini clarissimi historici decadas,
annotationes**

Glareanus, Henricus Loriti

Basileae, 1540

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-655>

Clementissimo Caesari Ferdinando, Bohemiae Hungariaeque regi &c. Henrichus Glareanus s. d.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CLEMENTISSIMO CAESARI FERDI

NANDO, BOHEMIAE HUNGARIAE QVE

Regi &c. Henrichus Glareanus S. D.



EMINI dubium est, inuictissime Rex, id esse in historia temporū rationē, quod solis iubar in sublimi hoc aëre. Tolle solem ex hoc mundo, quid aliud nisi confusum relinquetur chaos? Tolle aetatum ac seculorum ordinem ex historia, dii boni quā nihil lucis rebus gestis adfuerit. Qua causa ego motus, cum Liiij historia, ut eminentissima & utilissima, ab omnibus passim enarranda suscipiatur, in ea autem temporum ratio mirē claudicet, existimaui operæ precium me facturū, si studiosos hac etiam parte, ut alijs nostris operibus, pro uirili iuuarem, id quod antea in Dionysij Halicarnassei præclarissimi ac diligentissimi historiographi libris fecimus. Itaq; Chronologiam quandam (eam temporū rationem dicere possis) institui, quā ante aliquot annos Hieronymus Frobenius ac Nicolaus Episcopus, summi amici mei, ac bonarū literarū instauratores, ad Liiij, quod tum excudebant, exemplar, adijci curarūt. Pro quo sanè labore à multis doctis uiris bene audiui, qui literis ad memissis, ingentis nobis gratias egere, ac ingenuè, quo sunt candore, falsi sunt historiae Romanae maximū accessisse decus ac lumen per huiusce modi cōmentationem, succincentes identidem illud Maronis,

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo
Argentum, Pariusue lapis circundatur auro.

Nectamē ego ob id cristas erigere cœpi, quod laudati pauones facere solent, sed magis annisus sum, ac fidelem dedi operam, ut ea denuò seorsum excuderetur, uidelicet ut, qui antea Liiij codices habent, quando non omnibus eundem autorem bis parare cōmodum est, possent etiam hoc nostro frui labore. Huic autem conatui dexter affuit Mercurius Michaëlis Isingrinij industria, uiri in primis cum eruditi, tum, quod eruditionem potissimū cōmendat, hominis laboriosissimi in restituendis bonis autoribus, id quod hisce aliquot annis lector ex libris in eius officina excusis facile colliget. De quo rectissimè, secus atque de pluribus nostræ aetatis typographis, Flacci nostri illud dixeris,

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem Cogitat.

Verum ad Chronologiam redeo. Eam ego exorsus à Troia capta, altius repetitis annis, propter eximij uiri, de qua iam dixi, Dionysij Halicarnassei præclarissimam historiam, adieci post Liiij tempora singulis cum consulibus annos ad Iustinianum usq; Casarem, id quod Casiodorus quoque fecit, quanquam codex eius mirē corruptus hodie habetur, quem tamen Gregorius Haloander, uir magna, meo iudicio, industria, multis in locis emendauit. Idem ego in prioribus annis, qui Liiijana continentur historia, nec cum hoc nec cum illo ubique consentiens, quemadmodum nec inter ipsos ubique conuenit. Porro quot locis dissentiam, & quibus autoribus fultus, lector eruditus legendo facile uidebit. Spero autem fore ut optimus quisque confessurus sit, me nec temerè nec sine fructu lectorum hanc post illos suscepisse prouinciam. Simpliciter autem autorum loca ostendi lectori, relinquens illum suo iudicio, nec omnia, quæ poteram, odiose inculcans, nec ubiq; illic tædium euitans, hic ostentationem. Sed hæc obiter de causa quæ nos ad hoc negocium scribendum compulerit, dicimus. Nam de utilitate huius hoc unum admonuero, summè enitendum ac elaborandum, maximè uero autorū classicorū enarratoribus, ut temporis ratio in historia constet. Si enim historia testis est temporū, ut uerè dixit Cicero, quid absurdius fieri potest, quā ita narrare historiam, ut quid prius, quid posterius gestū sit ignores? perinde atq; uulgus narret fabulas. In hac igitur Chro-

nologia initium à capta Troia sumptum est, quod Romani à Troianis oriundi credantur, per Aeneam, Ascaniū, ac deinde reges Albanos usq; ad Romulum, qui Urbis fuit cōditor. Fuere autem à Troia capta ad Urbem conditā anni quadringenti trigintaduo: qui numerus ter à Dionysio proditus, corruptè legebatur in uulgatis codicibus. Nos autem collatis ex Chronicis Eusebij annis, ac uarijs aliorū autorum comparatis locis, regum Albanorū seriem maximè uerissimam ac summè congruentem, diligenti adhibita ratione deduximus. Et ne nudæ essent semipaginæ, ex sacra historia Iudæorum reges, qui in hæc inciderunt tempora, adiunximus. Deinde etiam Medorum, Macedonum ac Persarum, ut multis daremus ansam diligentius inspiciendi Eusebij Chronica. Quod si quis ijs offendetur, ac minimè obtundi his lectorē oportuisse clamet, is sciat eo consilio à nobis instituta esse, ut Albanorū Romanorumq; regum series ab initio lectorum ducat: alia autem ita adpicta, ut omitti facile queant. Quare lector ea ita existimet, perinde atq; uacua margine non adsint; cuius rei euidentis signū est, quod Eusebij supputationem in regibus Romanis, ubi maioris in hoc negotio auctoritatis uiri Liuius atq; Dionysius urgebant, omiserimus. Quod autem Hebræorum reges maluerimus quàm uel Aegyptiorū, uel Lydorū, uel Atheniensium, hæc nostra tempora in causa fuerunt, quibus multi Iudæorū historiam legunt absq; omni iudicio. Sed breuiter omnia eò direximus, ut lectoris utilitas spectetur. Non dicam nunc, quanto labore hoc tam paruum opusculum mihi constiterit, uel quia nemo mihi crediturus sit, si dixerō; uel quod gloriolæ captator minime uideri uelim. Hoc dicam, neminem eo in negotio tam cautū, tamq; circumspectum esse posse, ut non alicubi uacillet, ut nō singulis paginis cauillatoribus sit locus, tanta hac in nomenclatura ob temporū iniuriā est confusio. Quod probè mihi ostendit D. AEGIDIUS Tschudus affinis meus V. C. apud Heluetios, cum reducem è Roma hisce diebus Claronæ inuisissem: qui, ut est uir multæ lectionis, ac omnis antiquitatis diligentissimus indagator, & quod maximū est, acerrimi iudicij homo, ex antiquis monumentis Romę descriptis cōmonstrauit multo secius magistratus nomina habere, atq; nobis uel Liuij codices, uel Cassiodorus, alijq; nonnulli exhibuerint. Verum nunc non erat tantum ocij, ut ea omnia emendaremus: dabit Deus aliquando ut id plenius exequamur. Accipe igitur & hos labores nostros clementissime Cæsar, animi grati erga liberalitatem tuam specimen, Maiora & me debere, & Maiestatem tuam decere, certò scio: sed in eo fastigio Deus opt. max. te collocauit, ut animū beneuolum ac gratum non minus uelis quàm relatam gratiā. Idem Deus opt. max. tuis pijs conatibus, felicissime Rex, det gratiam in publicū Christiani orbis cōmodū. Friburgi Brisgoiæ, anno à Christonato M. D. XL. Calend. Septembrib.